



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibus

De Deo Effectore Creaturarvm Omnium. In tres præcipuos Tractatus
distributa. Quorum primus De Angelis

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1621

VI. Vtru[m] res alias creatas amore naturali, vel electiuo Angelus diligit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84413)

Aliorum opinio asserit, quod amor concupiscentie erga Deum esse in Angelis necessarium, quoad exercitium. Probatur primo. Secundo. Tertio.

putant esse in Angelo necessarium, quoad specificationem, & exercitium. Ita tenet Bannez d. art. 5. qui indifferentur loquitur de amore Dei, & videtur etiam de amore amicitiae loqui, & rationes eius ad vtrunq; tendere videtur. Et in primis supponit, Angelum diligere se necessario quoad exercitium. Vnde argumentatur primo, quia amor proprius fundatur in amore boni vniuersalis, quod est Deus, & ad ipsum reducitur, alias esset inordinatus: ergo si amor proprius est necessarius quoad exercitium, multo magis amor Dei. Secundo maior est inclinatio ad amorem Dei, quam ad proprium, ergo est magis necessarius. Probatur consequentia, quia necessitas oritur ex maiori inclinatione. Tertio quia Angelus eodem actu, quo se cognoscit, Deum etiam cognoscet, ergo etiam eodem actu se diligit, & Deum, ergo eadem necessitate. Prima consequentia probatur ex debita proportione: & quia sicut Angelus cognoscit conclusionem in principijs, ita amat media in fine, & se amat, vt medium, Deum autem vt finem. Quae rationes, si attendere spectentur, non minus de amore amicitiae, quam concupiscentiae procedunt.

8. Nihilominus nullam rationem tantae necessitatis video, etiam in amore concupiscentiae Dei. Iam enim ostendimus Angelum non se diligere aliquo determinato actu necessario quoad exercitium. Hinc eruitur idem, vt nullam rem particularem tanta necessitate sibi diligit, alias necessitaretur ad amandum se per talem actum determinatum, quia dilectio talis rei concupiscentiae, particularis determinata est. Ergo neque Deum sibi diligit illa necessitate, quia licet Deus sit vniuersale bonum eminenter, vel causaliter, nihilominus est particulare obiectum in ordine ad particularem amorem. Deinde rationes quae afferuntur ad illam necessitatem ostendendam, efficaces non sunt, & alioqui, si non ostenditur causa necessitatis, voluntas iuxta libertatis possidet, & illi denegandum non est, ergo: Maior patet, nam in prima ratione falsum est omnem amorem, quo se Angelus ordinate amat, fundari in amore Dei, sed fundatur in bonitate, & commoditate obiecti, & inclinatione naturali ad proprium commodum. Nec ideo talis amor est inordinatus, quia nulla ratio, vel lex cogit ad fundandum omnem actum amandi bonum creatum, in amore boni increati, sed satis est illud non excludere, & quod de se apertus sit referri in illud.

In secunda vero ratione non recte fit illatio, quia licet inclinatio naturalis ad Deum sit maior, vltimus eius potest esse magis liber, quia necessitas actus non ex sola inclinatione naturali nascitur, sed etiam ex propinquitate, & cognitione, & alijs conditionibus. Eo, vel maxime, quod ratio illa supponit voluntatem Angeli necessitari quoad exercitium ad vnum actum amoris sui, quod nos negauimus. Vnde cum solum necessitetur ad hoc, vel illud, vel aliud bonum distinctum sibi amandum, clara cernitur differentia inter amorem sui absolute, & amorem sui, quo sibi: Deum amat, continetur enim hic amor sub illo, tanquam particularis, & determinatus, sub vniuersali, & confuso: & ideo maior est necessitas amandi se absolute, quam amandi se secundum hoc bonum, quod est Deus. Vnde addi etiam potest, Angelum non magis inclinari ad diligendum Deum amore concupiscentiae, quam ad diligendum se amore benevolentiae, quo vult sibi tale bonum: nec etiam est contrario, quia est idem amor, & ad illum eadem est inclinatio, vt recte notauit Alexand. Alenf. 2. p. 9. 30. memb. 1. per totum. Comparando autem amorem benevolentiae sui, ad amorem benevolentiae Dei, dici potest inclinatio ad priorem esse maior extentiue, quia circa multiplicia bona concupiscentia sibi exerceri potest, & inde potest esse maior necessitas in illo confuse sumpto, quam in hoc determinate exercendo.

Tertia vero ratio applicata ad amorem concupi-

scientiae non recte procedit, quia non tanta necessitate amat Angelus DEVM sibi, vel se, volendo sibi Deum, quanta cognoscit se, vt manentem à Deo, vt ostendimus. Vnde fatemur, quod sicut eodem actu cognoscit se, & Deum, amat se & Deum, & ex suppositione quod se amat tali determinato actu, consequenter amat simul Deum, non quidem ob illam rationem de medio, & fine, sed quia Deus amatur, vt bonum quod diligitur, & ipse Angelus, vt is cui tale bonum diligitur. Tamen quia ille determinatus amor sui non est necessarius quoad exercitium, ideo nec ille amor Dei est simpliciter necessarius, quoad exercitium. Magis autem videtur illa ratio procedere de amore amicitiae Dei. Nam illo proprie diligitur Deus, vt vltimus finis propter se, & in quem omnia referuntur. Tamen ad hunc amorem non sufficit cognitio illa Dei, quae in Angelo est per actum cognitionis sui, sed necessaria est altera, & perfectior cognitio Dei, vt supra explicauimus. Vnde etiam in hoc amore non est necesse, vt Angelus per eundem actum diligit seipsum explicite, & in particulari: nam potest Angelus diligere Deum per puram benevolentiam eius, vt supremi boni, & vltimi finis, non reflectendo specialiter supra seipsum, magis quam supra res alias. Ac denique potest quidem vnicuique actu diligere Angelus se, & Deum, Deum propter se, & se propter Deum, & tunc se diligit amore concupiscentiae respectu Dei, actu amare & Deum amore amicitiae, tamen hoc modo sicut se se, & Deum. Libere amat, & non ex necessitate, ita & Deum. Nullus ergo amor naturalis Dei, est quoad exercitium necessarius. Quoad specificationem vero dici potest amor concupiscentiae Dei necessarius modo supra explicato, scilicet, quantum est ex naturali inclinatione, & nisi quis ex adiunctis malis, etiam non esse desideret, nam tunc etiam poterit odio habere Deum, & nolle illum sibi, quia qui simpliciter non vult esse, nullum postquam bonum sibi vult, sed solum carere maiori malo.

Ad certum.

Angelus potest eodem actu amare & Deum.

CAPVT VI.

Vtrum res alias creatas amore naturali, vel electiuo Angelus diligit.

Inter res creatas, quaedam rationis vsu carent, aliae irrationales, seu intellectuales sunt. De prioribus nihil in particulari quae sit D. Thom. in illa q. 60. sed de solis Angelis interrogauit, an vnus Angelus naturaliter diligit alios sicut seipsum: sub Angelis vero hominem, vt rationalis est, & in gradu intellectuali cum Angelis conuenit, eiusdemque finis est particeps, sine dubio comprehendit, vt patet, tum ex paritate rationis, quam adducit, tum quia in artic. 3. cum de solo Angelo quaesiuisset, an diligit seipsum, in corpore de homine, & Angelo aequale loquitur, & in artic. 4. sic inchoat. Respondeo, quod sicut dicitur, Angelus, & homo naturaliter seipsum diligit, &c. Igitur de reliquis creaturis ratione carentibus videtur D. Thomas supponere non diligi ab Angelo naturali dilectione: sed tantum electiuam, de intellectualibus vero affirmat Angelum naturali dilectione amare alios Angelos.

Vt autem vtraque pars breuiter explicetur, suppono ex dictis dilectionem non dici naturalem, pro ut opponitur liberam simpliciter. Nam certum est, vnum Angelum non diligere alios necessario, vel necessitate quoad exercitium, vel etiam simpliciter quoad specificationem, sed tantum secundum quid. Primum patet, tum quia non est necesse, vt vnus Angelus semper de alijs Angelis, vel de aliquo illorum cogitet, vt supra dictum est, & per se patet: quis enim potest illi hanc necessitatem naturaliter imponere? at sine cogitatione non est actualis amor, ergo nec talis amor potest esse quoad exercitium necessarius.

Questionis explicatio.

Angelus non diligit alias creaturas rationales quoad exercitium.

cessarius: cum quia etiam dum vnus Angelus de alijs cogitat, non est necessarium, vt eos actu diligit, quia illud obiectum non est summe bonum, aut in se omnem rationem boni continet, nec est obiectum per se beatificans Angelum, nec ad bonum eius est simpliciter necessarium, nec in actuali amore eius est aliqua summa perfectio, in qua non possit aliqua ratio incommodi inueniri, vt intermittere non valeat. Non est ergo talis dilectio necessaria quoad exercitium.

3. Imo neque quoad specificationem est simpliciter necessaria talis dilectio, quia licet Angelus per se, & ratione suæ naturæ præcise spectatus non sit dignus odio, nec sub ea ratione odio haberi possit, nihilominus vt D. Thomas in eodem art. 4. docet, propter extrinsecas, & accidentales rationes, potest odio haberi: & ita mali angeli odio prosequuntur homines, & alios Angelos, & possunt velle, illos non esse, non ex affectu vitandi maius eorum incommodum, si eum possunt desiderare non esse sibi ipsis, sed ex affectu mali ad ipsos, & ex displicentia, vt in Deo declaratum est, ergo non diligunt illos necessario quoad specificationem absejre, & simpliciter. At vero secundum quid recte dicitur vnus Angelus diligere alios necessario quoad specificationem, quia per se, & ex vi naturalis vnitatis, & similitudinis inter illos, non possunt se odio habere, sed potius diligere. Et in hoc sensu dilectio aliorum Angelorum dicitur naturalis, quia ex inclinatione naturali specialiter fundata in vnitatis, & conuenientia naturali in tali gradu, oritur illa dilectio elicita, cum tanta determinatione, vt per se, & attenda sola ratione intrinseca diligendi, non possit tale obiectum displicere, aut odio haberi. Quæ resolutio, & explicatio constat satis ex dictis, & ex his, quæ in simili docet idem D. Thom. 1. p. q. 82. art. 1. & 2. & 1. 2. q. 10. art. 1. & 2. & de Anima etiam tractatur.

4. Ex quibus colligitur, cum D. Thom. in d. q. 60. distinguit dilectionem electiuam à naturali, vt membra sint conuenienter opposita, dilectionem electiuam vocare non solum illam, quæ libera est, sed quæ omni ex parte necessitate caret, ita vt nec sit necessaria quoad exercitium, neque quoad specificationem, nec simpliciter, nec secundum quid, seu attenda aliqua speciali inclinatione naturali. Etenim generaliter loquendo omnis dilectio libera, quatenus talis est, potest dici electiuam. Nam licet proprio & rigoroso modo electio dicatur, quæ versatur circa bonum vrile vt sic, seu quæ est medijs propter finem, nihilominus omnis amor boni particularis, quatenus liber est, electiuus est. Quia vel per illum amorem tale bonum alteri bono illi opposito præfertur, vel certe quia actus ille amandi carentiæ eius præponitur: & ibi etiam includitur virtualis quædam electio, quatenus particulare bonum propter beatitudinem, vel propter vniuersale, seu integrum bonum amatur, sicut pars naturaliter est propter totum, vt ex D. Thom. dicta q. 60. art. 2. & 1. 2. q. 1. art. 4. 5. & 6. colligitur. Vt ergo dilectio electiuam à naturali adæquate distinguatur, oportet, vt cum maiori rigore electiuam dicatur, quæ omnem necessitatem excludit, vt explicatum est, nisi si quis dicat, eandem dilectionem posse naturalem, & electiuam vocari sub diuersis respectibus, naturalem scilicet, vt est de bono propter se ipsum, & ex speciali inclinatione naturæ, vnde aliquam necessitatem participat, electiuam vero prout est aliquo modo libera, & propter aliud, vt sensit A. lenf. 2. p. q. 30. & 31. per totas, sed nihilominus deliberatiua simpliciter dicitur, quæ nullo modo naturalis est, & ita videtur ex his articulis accipienda.

5. Vnde vterius colligimus, ex mente D. Thomæ Angelum sola dilectione electiuam diligere omnes alias creaturas præter intellectuales. non enim alia ratione illas omisit videtur, & de solis intellectualibus quæstionem mouet, nisi quia supponit, Ange-

lum non diligere alias creaturas naturali dilectione. Quod potest in hunc modum explicari. Nam duplex est amor, vt dixi, scilicet amicitia, & concupiscentiæ. Prior non habet locum circa creaturas ratione carentes, teste Aristot. 8. Ethic. c. 2. D. Thom. 1. contr. Gent. c. 91. & dixi in relectione 1. de libertate diuina voluntatis, sect. 2. num. 16. Et ita illa dilectio naturalis, quæ vnus Angelus alios amat, & hominem, circa res ceteras locum non habet. Solo ergo amore concupiscentiæ potest Angelus huiusmodi res diligere. Hic autem amor non est Angelo vilo modo necessarius, aut naturalis, quia extra Deum nihil sibi ex necessitate aliqua, seu naturaliter amat, quia à solo Deo naturaliter pendet, & cum illo solo potest esse beatus. Et ideo res irracionales, quas solo amore concupiscentiæ potest diligere, non naturali amore, sed pure electiuo diligit. Imo quatenus alios Angelos amore concupiscentiæ diligere potest, non naturali amore, sed electiuo diligit, propter eandem rationem. Dicitur, necessarium omnino videri, vt omnis amor electiuus ex aliqua inclinatione naturali procedat: nam, vt dixit D. Thomas 1. p. q. 60. in dicto art. 1. Naturalis dilectio principium est electiuæ, quia semper id, quod per se ad prius, habet rationem prioris. Ergo repugnat aliquam dilectionem ita esse electiuam, vt non sit aliquo modo naturalis. Respondeo, id verum esse de inclinatione naturali ad bonum in communi, vel ad propriam beatitudinem. Nam sine dubio omnis amor concupiscentiæ ab hac inclinatione procedit, sed nihilominus talis amor non semper est ex peculiari inclinatione naturali ad tale obiectum, seu ad talem rem determinatam, quod requiritur proprie ad amorem naturalem, vt explicauit.

Potest vero obijci contra dicta, de amore vnus Angeli erga alios, quod D. Thomas asserit dicto art. 4. quest. 60. ad 3. huiusmodi amorem non posse ab Angelis malis remoueri, quin dilectionem, inquit, naturalem habeant ad alios Angelos: in quantum cum eis communicant in natura. Respondeo, hæc verba non esse intelligenda de amore electiuo, sed de naturali inclinatione, hæc enim sola ab eis remoueri non potest, actus autem electiuus potest non haberi, imo & contrarius adesse potest, vt dixi. Vel si intelligantur de actu electiuo, intelligenda sunt non absolute, sed conditionaliter, seu hypothetice: vt indicant verba illa, in quantum communicant in natura. Nam si vnus Angelus velit actum voluntatis habere circa alium, quatenus in natura secum conuenit, hanc præcise rationem spectando, non potest circa illum versari, nisi diligendo, & ita non potest ab illo separari dilectio, ex oppositione quod velit circa tale obiectum sub tali præcificatione operari. Absolute autem potest remoueri, quia potest obiectum illud, non ita præcise, sed vt in re habeat alias condiciones adiunctas, considerare, & hoc tantummodo per voluntatem circa illud versari, sic enim non solum non amare, sed etiam odisse poterit.

Vltimo solet hoc loco interrogari, an in illo naturali amore, quo vnus Angelus alios diligit, sit aliquid ordo, id est, an Angelus naturaliter plus diligit quosdam Angelos, quam alios, & an perfectiores, vel similiores magis diligit. Comparari autem solent amores, vel in bono voluto alteri, vel in modo intentionis, vel in modo appretiationis, qui explicatur per hanc comparisonem, si vnus esset dimittendum, à quo difficilius remoueretur voluntas. Quantum ad primam comparisonem res est clara, quia hoc modo perfectiores diliguntur magis. Quia sic magis diligere, non est nisi maius bonum alteri diligere, naturali autem dilectione maius bonum amatur perfectiori Angelo, quia amatur illi perfectio, quæ in naturali, quæ in illo maiore est. Et sic Angelus magis diligit perfectiores se, quam seipsum, quia meliorem naturam, & perfectionem naturalem maiorem illis vult. Verum est, in bonis accidentalibus, & ad-

nentitij posse plura sibi diligere, vel etiam alij. Sed hoc magis pertinet ad amorem electiuum, quam ad naturalem.

8. In secundo. De modo intentionis, quidam dicunt Angelum magis diligere se, quam alios, & inter alios magis sibi similes, quam perfectiores, quia ad se magis inclinatur, & consequenter etiam ad illos, qui maiorem vnitatem cum illo habent, & in hac vnitatem naturalis hic amor fundatur. Sed in hac conditione amoris non existimo esse vllum ordinem, quia Angelus naturaliter inclinatur ad operandum toto suo conatu: dum autem operatur toto conatu, cum equali intentione operatur, & ideo non minori intentione diligit alios, quam se, nec inter alios magis similes, aut perfectos quam ceteros. Item variatio in intentione non sumitur ex obiecto, & consequenter, nec ex dignitate, vel alia conditione eius, sed sumitur ex conatu potentie, quae potest cum equali circa maius, & minus obiectum operari, & Angelus toto conatu operatur, quantum est ex se, nisi aliunde impediatur. In tertia item comparatione aliqui dicunt Angelum magis diligere similes, propter rationem factam, quibus fateri D. Thomas d. art. 4. ad 2. Sed oppositum fortasse probabilius est, quia perfectio obiecti maioris estimationis est: vnde cum dicit D. Thomas id magis amari, quod est similius, intelligendum est ceteris paribus. Eo vel maxime quod iste amorita est naturalis, vt sit etiam rationalis: at secundum rectam rationem magis amandus est, qui est perfectior in natura, ergo ad hoc etiam ratio naturalis inclinatur. Denique potissima conuenientia inter Angelos est in gradu intellectus naturae, & secundum illum magis gaudet inferior societas superioris, quam equalis, & melius esse iudicat, vt ille existat, ergo naturaliter etiam magis ad illum inclinatur.

CAPVT VII.

Vtrum voluntas Angeli in sua pura natura spectata sit libera quoad specificationem inter bonum honestum, & malum illi contrarium, seu turpe; id est, an sit libera ad eligendum vtrumque, & ad peccandum contra rectitudinem naturalem.

1. IN superioribus capitulis explicuit libertatem Angeli, vt opponitur necessitati quoad exercitium: & obiter aliquem modum necessitatis quoad specificationem maiorem, vel minorem attingimus, non tamen omnem indifferentiam voluntatis angelicae, nec necessitati quoad specificationem, oppositam satis declarauimus, & ideo aliquid in praesenti addere necesse est. In quo duo vt certa supponere possumus. Vnum est, dari in voluntate Angeli necessitatem aliquam quoad specificationem, vel simpliciter, vt circa bonum in communi, vel secundum quid, vt circa quaedam particularia bona de se valde connaturalia, seu conuenientia naturae, vt satis expositum est. Alterum est voluntatem Angeli esse liberam quoad specificationem, & omni modo, in dilectione boni honesti particularis, quando illud non est connaturale, nec ex peculiari naturae inclinatione procedit. Hoc enim genus indifferentiae, ac libertatis circa aliqua obiecta ad integram libertatem voluntatis necessarium est, ergo maxime circa bona honesta, quae sunt maxime propria voluntatis, vt voluntas est. Nam si inter haec bona huiusmodi indifferentiam non haberet, nulla esset ratio cur illam circa alia possideret. Denique a fortiori existendishoc amplius constat. Quin potius addimus, suppositum hoc verum esse, siue tale bonum ametur per modum finis particularis per se honesti, vt est contemplari, orare, benefacere alicui, vel quid simile, siue ametur tanquam me-

Suarez de Angelis.

dium vtile ad talem finem, quando inter plura talia media electio fit. Nam licet in hac electione maxime locum habeat absoluta indifferentia ab omni necessitate quoad specificationem, tam simpliciter, quam secundum quid, nihilominus eadem in intentione particularis finis inuenitur, quia in illa electio vnus praeter alio inuenitur, esto non sit propria electio propter aliud: quauis etiam haec virtute participetur, quatenus illud particulare bonum est pars boni communis, quia pars virtute propter totum amatur.

2. His ergo suppositis superest quaestio an voluntas Angeli sit ex natura sua omnino determinata quoad specificationem ad bonum honestum in communi, ac proinde non possit velle aliquid turpe relicto honesto, quod est quaerere, an voluntas Angeli natura sua deficere non possit in moribus, vt pura ratione naturali regulatur, nec peccare, sed sit a peccatis, vt Graeci Patres vocant, id est, impeccabilis. Quam quaestionem solent tractare Theologi disputando de peccato Angelorum, quia vero communis est bonis Angelis, & ad naturalem eorum conditionem explicandam spectat, huius loci propria visum est. Quocirca maxime praeter oculis habendum est, hic non esse sermonem de Angelo in omni statu, nec de potestate peccandi contra praecipua supernaturalis ordinis, si ad illum eleuetur, nam de illo statu infra tractandum est, & nunc supponimus Angelos de facto potuisse sic peccare: nam multi peccauerunt, & reliqui non peccando meruerunt, vnde eandem potestatem peccandi habuerunt, quod de Angelis creatis est certum: quid vero de possibilibus creaturis dicendum sit, postea inquiremus. In praesenti autem loquimur de Angelo in sola, ac pura natura spectata, & per naturalem cognitionem ac rationem operante, de quo longe diuersa est ratio, quia naturalis cognitio est regula magis proportionata voluntati in sua natura spectata. Et in hoc puncto nihil est reuelatum, nec videtur aliquid certo colligi ex reuelatis, & ideo variae sunt Theologorum opiniones.

Titulus quaestio simulatur.

Notandum pro expedienda quaestione.

3. Prima affirmatio est natura sua ita rectum in naturalibus, vt in eo ordine deficere non possit peccando, aut eligendo turpe, relicto honesto, ac proinde inter bonum honestum, & contrarium malum esse determinatum ad vnum quoad specificationem. Ita opinatur Durand. in 2. dist. 5. q. 1. n. 16. & dist. 23. q. 1. n. 7. & 8. Sequitur Capreol. in 2. dist. 2. art. 3. ad argumenta Durandi, & Caiet. 1. p. quest. 63. art. 1. §. circa consequentiam, & idem sentit Ferrar. 3. contr. Gent. capit. 109. parum a principio, & inclinatur plures moderni interpretes D. Thomae. Et allegatur idem Doctor Sanctus. Quia in p. quest. 63. art. 1. in 3. argum. obiecerat, non posse Angelum peccare, quia naturaliter diligit Deum. Respondet autem, quia naturale quidem esse Angelo diligere Deum vt auctorem naturae, supernaturaliter autem conuerti ad Deum secundum quod est obiectum beatitudinis, a qua auertere potuit peccando. In qua solutione concedere videtur, non potuisse Angelum auertere a Deo, vt auctore naturae, ac proinde nec peccare in naturalibus. Et ita explicat in art. 3. peccatum Angeli per hoc, quod appetit vltimum finem, ad quem virtute suae naturae poterat peruenire, auertens suum appetitum a beatitudine supernaturali. Capreolus etiam illum allegat in q. 16. de verit. artic. 2. Ibi tamen solum explicat peccatum Angeli per ordinem ad diuinam regulam, a qua potuit deficere, quia potuit illam non considerare: non loquitur autem expresse de regula supernaturali, in solutione tamen ad 4. id indicat. Et eodem modo procedit 3. contr. Gent. capit. 110. respondendo ad argumenta cap. 108.

Prima opinio affirmans.

4. Ratione etiam fundatur haec sententia primo, quia voluntas non potest deficere peccando, nisi procedat in intellectu aliquis defectus erroris, vel inconsiderationis: sed in intellectu Angeli nullus defectus praecedere potest in cognitione rerum naturalium, ergo

ergo